

aperta privilegium concessum aufert; vel tacite, cum ponit actum contrarium, aut fert legem oppositam privilegio. Porro revocatio per legem universalem non sortitur suum effectum, nisi lex fuerit sufficienter promulgata; item per clausulam generalem, « non obstantibus quibuscumque privilegiis, » non revocantur privilegia specialibus munita clausulis vi quarum revocari non possunt nisi de illis specialis mentio fiat, cum clausula generalis non contradicat clausulis specialibus. Si autem fiat revocatio specialis, tunc sortitur suum effectum, cum privilegiato debite intimata fuerit. Cæterum, sicut privilegium speciale derogat generali, lex contraria posterior derogat anteriori privilegio clauso in corpore juris communis, quia hoc princeps non censetur ignorare, non vero privilegiis extra jus commune vagantibus, nisi et horum mentio fiat, quia hæc probabiliter superior ignorat.

Hæc de privilegiis in communi sufficiant. Utilissime legitur appendix *de Privilegiis* ad calcem Theologiæ moralis S. Alph. de Ligorio posita, ubi, principiis generalibus expositis, multa de privilegiis in specie tractantur.]

TRACTATUS DE GRATIA

D. Thomas, I^a II^e, a q. 109 ad q. 114.

DISSERTATIO I PRÆAMBULA

DE VARIIS ERRORIBUS CIRCA GRATIAM

[Circa gratiam prodierunt errores extreme oppositi. Quidam negaverunt gratiam, ne læderent libertatem. Alii liberum arbitrium respuerunt, ut adstruerent gratiam.

Pelagius, natione Brito, sive Anglus, sive Scotus, sive Hibernus, circa annum 405 errores suos spargere cœpit, quorum celebriores patronos et assertores habuit Cœlestium, cujus patria ignoratur, et Julianum, patria et episcopatu Eclanensem.

Pelagiani primum dicebant, hominem habere tantum a Deo possibilitatem seu facultatem boni, a seipso autem solo hujus possibilitatis usum seu voluntatem et actionem. Attamen, catholicorum argumentis pressi, præter liberum arbitrium, legem et doctrinam exteriorem, videntur postea admisisse aliquid gratiæ interioris, non solum intellectum illustrantis, sed etiam voluntati firmitatem addentis: et hoc auxilium non absolute necessarium affirmabant, sed utile tantum ad bonum operandum, neque gratuito collatum, sed naturæ meritis debitum. Tribus vero præcipuis erroribus Pelagiani pertinaciter adhæsere. Primus est, nullum peccatum ab Adamo ad posteros fuisse traductum, sed protoparentem solo suo exemplo nobis nocuisse, ideoque naturam nostram nullatenus fuisse vitiatam, nec

proinde gratiam esse necessariam, sed bene viventibus non conferri nisi ut facilius et perfectius Deum colant; utiliter tamen infantibus conferri baptismum, non ut a peccato mudentur, sed ut gratia ab eo collata eos cœlestis regni faciat hæredes. Secundus error, ex eo fluens, est gratiam nobis secundum merita nostra dari. Tertius est, homines libero arbitrio bene utendo, ad tantam perfectionem pervenire, ut etiam absque gratia omne peccatum, etiam collective, vitare possint. Ad hos errores redeuntur alii, scilicet: concupiscentia non est mala, quia est proprietas naturæ; miseriæ hujus vitæ non sunt peccati originalis pœnæ; Adamus, etsi non peccasset, perinde moriturus erat; parvuli sine baptismo morientes quadam beatitudine fruuntur, non tamen ea quæ regno cœlesti est propria, et idem dicendum de adultis infidelibus qui legem naturalem servaverunt. Omnes norunt, de gratia actuali bonæ voluntatis et actionis ad singulos pietatis actus necessaria, gratuito et non ex meritis naturæ collata, longam et acrem fuisse inter Augustinum et Pelagianos concertationem.

Sociniani, duce Fausto Socino, Senensi, anno 1539 nato, cum Pelagianis plane conveniunt, quorum vestigia sectantes rationalistæ, in eisdem errores lapsi sunt. In istorum systemate, homo paradisiacus non fuit nisi typus primitivus idealis perfectionis, ad quem in se referendum ejus posterii provocantur, cui additus est alius typus longe præstantior in Christo Jesu. Homo quippe, ex principio naturali perfectibilitatis, semper potest in perfectione adipiscenda ulterius progredi, ita ut non solum typum referre, sed etiam ipsum superare valeat. Idem profitentur nullum dari statum supernaturalem, ex quo homo exciderit, aut ad quem revocari debeat: unde nulla homini opus est gratia, sive ad malum vitandum, sive ad bonum prosequendum.

Semi-Pelagiani, inter quos celeberrimus fuit Joannes Casianus, sic dicti sunt quia, in aliquibus a Pelagio recedentes, in aliis ei adhærebant. Admittebant peccatum originale et necessitatem gratiæ ad operandam salutem æternam.

Negabant tamen prædestinationem, sive ad gratiam sive ad gloriam, esse gratuitam, sed docebant Deum ab æterno ad gratiam prædestinasse quos prævidit esse ei consensuros et bene ea usuros, et ad gloriam quos præscivit in gratia ex se perseveraturos. Hinc necessitatem gratiæ denegabant, tum ad initium salutis, quod reponebant in affectu credulitatis, in petitione seu desiderio salutis, vel etiam in ipso consensu gratiæ oblatae præstito; tum ad perseverantiam, ad quam asserebant non requiri gratiam, quia in nostra potestate est posita. Initium enim salutis et perseverantia, in eorum sententia, in eo coincidunt quod, cum primo incipimus Deo consentire, sit initium salutis, cum vero in consensu præstito usque in finem permanemus, est perseverantia. Et quamvis sæpe sibi contradicerent, et modo loquerentur ut catholici, modo ut Pelagiani, hæc tamen videtur fuisse ultima hujus hæresis statio, sic nostrum esse gratiæ consentire vel dissentire, ut in iis qui consentiunt, consensus non sit a gratia Dei, sed ab ipsis, et ita initium salutis et perseverantiam subtrahebant gratiæ et libero arbitrio adscribebant.

E contra vero novatores sæculi xvi, Lutherus præcipue et Calvinus, dicentes protoparentum integritatem ac statum supernaturalem fuisse partem essentialem humanæ naturæ, sequentia docuerunt: 1º Per peccatum originale ita fœdata fuit in essentiali sua parte natura humana, ut nihil sani et integri retinuerit. 2º Amisit homo liberum arbitrium, ita ut omni actu et potentia, sive in intellectu sive in voluntate, destitutus fuerit, non solum ad pios motus, sed ad ipsa opera moraliter honesta elicenda. 3º Hæc opera sine gratia peracta totidem sunt vitia et peccata. 4º Gratia hominem cogit ad agendum, ita ut humanæ voluntati ineluctabilem necessitatem inferat. Unde, secundum istam doctrinam, homo passive sub gratia se habet, nihilque agit eidem gratiæ assentiendo aut cooperando. His omnibus Calvinus sibi præmunivit viam ad præcipuum suum dogma, nempe Deum prædestinasse et reprobasse homines independentem ab eorum prævisis meritis et demeritis, tam in executione quam in intentione. Prædes-

tinatio igitur, sicut et reprobatio, ita suum effectum sortitur, ut prædestinatus ex æternitate constituatur justus, nec unquam possit non esse justus seu gratus Deo; qui vero fuit reprobatus, ita semper odio habetur, ut neque per sacramenta neque per quæcumque opera gratiam aut fidem unquam recipiat: consequenter et prædestinationis et reprobationis efficacia nihil aliud est quam vera necessitas.

Baius, et ejus sequaces Jansenius et Quesnellus, novatorum systema adoptantes quoad protoparentum pristinam conditionem, dum censuerunt justitiam originalem cum donis ac privilegiis conjunctis debitam fuisse eis ex ipsa creatione, in eadem deliramenta prolapsi sunt, tum circa amissionem libertatis et opera infidelium et peccatorum, tum circa gratiæ naturam et efficaciam, tum denique circa prædestinationem absolutam. Ideo, si verba tantum mutantur, imo quandoque ipsis verbis servatis, systema Jansenistarum nihil aliud est, quoad substantiam, quam systema Protestantium nova methodo propositum.]

DISSERTATIO II PRÆAMBULA

DE VARIIS NATURÆ HUMANÆ STATIBUS

Quintuplex distinguitur naturæ humanæ status: primus, status naturæ puræ; secundus, status naturæ integræ; tertius, justitiæ originalis; quartus, naturæ lapsæ; quintus, naturæ reparatæ. Posset adjici status gloriæ et status damnationis, sed de his non est hic quæstio, quia tantum nunc naturam spectamus prout per auxilium divinum tendit ad suum ultimum finem. Itaque hanc dissertationem tractatui de Gratia præmitto, quia illorum statuum explicatio non parum conducit ad cognitionem necessitatis, diversitatis et proprietatum gratiæ, moventurque circa illos graves difficultates.

turalem, nec constituens hominem filium Dei adoptivum, participem divinæ naturæ et hæredem regni cœlestis: quæ omnia præstabat gratia sanctificans. Unde nihil obstabat quin potuerit Deus creare hominem in statu naturæ integræ, absque justitia seu gratia originali. Quia tamen isti duo status in Adamo fuerunt adunati, sæpe a Patribus et theologis confunduntur.

§ III. — *Status justitiæ originalis.*

Hunc felicissimum statum, qui per antonomasiam vocatur status innocentiae, eleganter describit S. Thomas, Opusc. II, c. 185, eumque constituit in perfecta subjectione rationis ad Deum, appetitus sensitivi ad rationem, et corporis ad animam: quæ duo ultima sequebantur ex primo, ut dictum est¹.

1. Sic hunc statum describit ibi Angelicus: « Homo in sui conditione taliter institutus fuit a Deo, ut corpus omnino esset animæ subjectum, rursumque inter partes animæ, inferiores vires rationi absque repugnantia subjicerentur, et ipsa ratio hominis esset Deo subjecta. Ex hoc autem quod corpus erat animæ subjectum, contingebat quod nulla passio in corpore posset accidere quæ dominio animæ super corpus repugnaret: unde nec mors nec infirmitas in homine locum habebat. Ex subjectione vero inferiorum virium ad rationem, erat in homine omnimoda mentis tranquillitas, quia ratio humana nullis inordinatis passionibus turbabatur. Ex hoc vero quod voluntas hominis erat Deo subjecta, homo referebat omnia in Deum sicut in ultimum finem: in quo ejus justitia et innocentia consistebat. Horum autem trium, ultimum erat causa aliorum. Non enim hoc erat ex natura corporis, si ejus componentia considerentur, quod in eo dissolutio sive quæcumque passio vitæ repugnans locum non haberet, cum esset ex contrariis elementis compositum. Similiter etiam non erat ex natura animæ, quod vires etiam sensibiles absque repugnantia rationi subjicerentur, cum vires sensibiles naturaliter moveantur in ea quæ sunt delectabilia secundum sensum, quæ multoties rectæ rationi repugnant. Erat igitur hoc ex virtute superiori, scilicet Dei, qui sicut animam rationalem corpori conjunxit, omnem proportionem corporis et corporearum virtutum, cujusmodi sunt vires sensibiles, transcendentem, ita dedit animæ rationali virtutem, ut supra condi-